DE CATHEDRA ROMANA
BEATI PETRI
PRINCIPIS APOSTOLORUM
ORATIO

HABITA IN BASILICA VATICANA
XV. KAL. FEBRUARII MDCCCLIII.

AB ANDREA COMITE DE LA VILLE SUR-YLLON LACEPEDE
SACR. THEOLOG. DOCT.
DE LOTHARINGIAE ET PARISIORUM PATRITIATU
SS. DD. NN. PAPÆ PII IX.
AB INTIMO CUBICULO
EX PONTIFICIA ACCADEMIA NOBILIUM ECCLESIASTICORUM

ROMAE
TYPIS CAJETANI PUCCINELLI
1853

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PP. PIO IX. PONT. OPT. MAX.

ANDREAS DE LA VILLE

FELICITATEM

Cognita et perspecta est, Beatissime Pater, animi Tui humanitas, quae ne humillimorum quidem hominum studia fastidit, ac illa singularis benevolentia, qua Ecclesiasticam Accademiam complexus es. Propterea cum mihi proposuissem aliquid Tibi offerre, et nihil prae manibus haberem dignum ut Tuis subjiciatur oculis, hanc tantummodo oratiunculam Tibi inscribere non esse mihi indecorum putavi. Nam si facundia in exornandis rebus mihi defuit, si doctrina in ex-

ponendis, si denique in verborum compositione expolitio, argumentum, in quo sermo versatur, defectui quidem pulchritudinis suppeditabit. Agitur enim de vi hujus Cathedrae, in qua Tu ipse Successoribus Petri subsequens sedes, et magister haberis. Agitur de ea vi, quae vagas hominum mentes fraenat, et omnes impiorum conatus disrumpit; agitur de doctrina, qua nihil verius, nihil majus, nihil perfectius excogitari potest. Propterea quum tanta virtutis sapientiaeque christianae documenta praebuisti, ut hinc error, illinc impietas adversus Petri Cathedram exsurgentes profligarentur, hoc novum adjungitur testimonium caeteris a Tuis Praedecessoribus perhibitis, quae sententiam hic exaratam maximopere confirmant. Sine igitur ut ego confidenter hoc munusculum porrigam, et provolutus pedes Sanctissimos osculer, ac Te etiam atque etiam obsecrem, ut alumnis Accademiae Ecclesiasticae, uti filiis obsequentissimis, Benedictionem Apostolicam impertiaris.

ORATIO

Nullam in humanis rebus, Beatissime Pater, nullam esse constantiam vel Ethnici quidem sciebant, et quodammodo animi dolore profitebantur. Quoties enim sapientibus videre occurrit in gremium temporis omnia praecipiti cursu dilabi; et quomodo haec destruat quae illa generatio aedificaverit; dolori est tot rerum mutationes perspicere, et hoc, prope dicerem bellum, quod non gens contra gentem, aut regnum adversus regnum, sed in patres filii, et recentes natu in vetustiores indicunt. Nam generationes, desiderio commotae felicitatem consequendi, quam in terris nunquam tangere obtinebunt, perfacilem praebere aurem falsis sententiis doctorum, et saepe illis non dubitant habere fidem, promit-

tentibus, fore ut in suis cujusque elucubratis cogitationibus quid quisque maxime optet apertissime inveniatur. Hinc evenit, ut falsi doctores hominum extorqueant mentes novitate doctrinae, animos inflamment promissionibus falsis, desideria excitent, quibus satisfacere nullo modo possunt.

Itaque gratiarum actiones Divinae Providentiae peragendae sunt, cui placitum est in medio terrae Cathedram statuere, veluti scopulum erectam, omnes frangentem opinionum fluctus, aut veluti petram, aedificium Ecclesiae integrum ad consummationem temporis sustinentem. Vere haec Cathedra ille scopulus est, in quem fluctus, a vento humanae fraudis et superbiae commoti, liquescere consuescunt; illa est petra, quae sub mole immensi ponderis compacta, semper in eodem statu permanens, saeculorum edacitatem lacessit. Quo subjecto sermonis hujusmodi tanta sentio animi voluptate perfundi, ut in ipso orationis introitu, quo vel grandia ingenia commoveri solent, in tanta loci et personarum dignitate, non timor pervaserit me, sed trepidatio, non verba deseruerint, sed gaudium reddiderit alacriorem. Et ideo liceat mihi, Beatissime Pater, fines circumscribere, inter quos oratio mea spatiabitur: mihi animus est demonstrare, Cathedram Petri perenni et efficaci vi praeditam esse, ut nunquam adversus illam portae inferi praevalere potuerint.

Haud dubitandum est quin Salvator mundi, quum locutus est dicens „ Tu es Petrus „ nos facere certiores vellet, non solum adversus Ecclesiam, sed ne adversus quidem petram, Ecclesiae fundamentum, portas inferi praevalere non posse. Nunc vero tres existere portae videntur, ex quibus se se in hanc petram hostes effundunt, ex una error, ex altera impietas, ex tertia denique persecutio. Quo tempore enim haec fundata est Cathedra, jam tunc contra fidem ejus Haeretici commiserunt bellum, Impii potestatem ejus debilitare conati sunt, ac Tyranni vitam ejus extin-

guere contenderunt. Tali dementia capti sunt homines, ut contra coelum saepissime obsessionem moliantur; et aggressi illud magna vi, extemplo deficiente sustentaculo molis, supra quam turmatim convenerant, humi cito stridore acuto, ingentibusque ululatibus procumbant. Nimirum qua exagitantur temeritate atque audacia praevidere noluerunt digitum Dei esse hic, praescribentem tempori ne quid laederet. Nam Salvator mundi, qui docuerat in parabolis, si quis aedificare vellet, ei prius computandos esse sumptus, qui faciendi sunt, ipsemet, aedificium indissolubile construere volens, cogitavit equidem quo robore illud erat fulciendum, ut quotquot eunt saecula perduraret. Ideo petram adamantinam ad operis manuum suarum fundamentum elegit, quae posset obsistere et furentis haeresis taedae, et fluctibus persecutionum, et aggressioni impietatis. Jure igitur Augustinus ait „ (1) Solus Petrus inter Apostolos meruit audire: *Amen dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; dignus certe qui aedificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum. „

Si hanc veritatem exemplis ab historia desumptis confirmare expediat, non ea de longinquis regionibus aut gentibus tempore disjunctissimis exquirere debemus; sat est si paulisper hanc urbem consideremus, et qualis esset priusquam hujus Cathedrae doctrinam amplectaretur, et qualem ob verae sapientiae lectiones divinis imbutam praeceptis admiramur. Hic (2) conculcandae Philosophiae opiniones, hic dissolvendae erant terrenae Sapientiae vanitates, hic confutandi Daemonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habe-

(1) Ex Ser. 28.
(2) S. Leon. ser. de S. Pet. et Pa:

batur collectum quidquid unquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hoc accedit, ut qui potestatem haberent, timentes ne una cum erroribus imperium quoque, et quidquid auctoritatis more majorum invaluisset, ob novam doctrinam pessumdaretur, ab caede immanissima haud abhorruerint; et perinde ac sanguinis effusione veritatis flammam extinguere potuissent, omni usi fuerint genere tormentorum, et gladio et igni, et carceribus et aculeo, et vapore fumi et muneribus, ut qua terrore, qua blanditiis generationes hominum a susceptis Apostolorum institutionibus avocarent. Nihilominus fortissimi viri, hujus Cathedrae dicto audientes, extinxerunt impetum ignis (1), effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, et castra verterunt exterorum. Et ideo veluti nova Jerusalem facta est Roma; quippe quae falsam philosophorum sapientiam exprobraverit, omni superstitionum generi valedixerit, et daemonum oraculis obsurduerit; quippe quae diruto imperio, quod armis comparaverat, aliud amplius et durabilius fuerit consecuta.

Jam vero hujus benificio Cathedrae evenit ut Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum mater, centrum unitatis, fons fidei, omnium thesaurorum coeli depositum haberetur et esset; ex illa enim debet puritatem dectrinae, et fidei repetere integritatem. Revera accepimus Ecclesiam Alexandriae persaepe ab Arianis Eutychianisque gubernatam esse, et Macedonianos Ecclesiam Costantinopolis habuisse. Ipsam Antiochiam Paolo Samosatensi aliquando subjectam scimus, et Monothelitis Jerusalem. Sed ob hujus Cathedrae vim Romana Ecclesia intemerata per saecula inter tot rerum revolutarum tumultus retinuit fidem, quin schisma, vel persecutiones vel praelia, vel omnes inferni potestates

(1) S. Pa: ad Haeb. 11. 34.

illam inficere potuissent. Hoc verum Sanctus Hieronimus adfirmabat dicens: in Cathedra Petri nunquam potuit fides sentire defectum. Unde hoc? Dixerat Apostolus: (1) Si quis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit. Tam claro monitu satis cautum erat, ne quid humani in divinas revelationes irreperet. Sed alibi, utinam id non accidisset, sacrae auctoritati cogitationes falsae, recentesque opiniones traditionibus inveteratis praevaluerunt. Hac fonte illuvies errorum derivata, ac sinuoso cursu per tot ecclesias ingressa, fluxit in fidei ruinam. Et ideo qui vivunt ex fide solent persaepe vertere faciem ad orientem, non sine lacrymis cogitantes quomodo, in quot locis Christi fidelium greges olim congregabantur, nunc datum sit a diabulo luxuriare infidelibus. Sed non sine consolatione justorum animae relinquuntur. Hic habent dignum spectaculum ut in cordibus eorum ascensiones suavitatis plenae gignantur. Hic Romani Pontifices quod (2) invenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod ab Apostolis acceperunt hoc filiis tradiderunt.

Dies me deficeret, si omnia quae hujus Cathedrae vis afflatim suppeditat argumenta, quaeque ab historia peti possunt exempla in medium proferre vellem, cum caeteroquin omnibus persuasissimum sit, rem ipsam ita se habere, ut conatum ornatumve demonstrationum respuat. Sed quoniam animarum igniculi valida quadam ratione, veluti vento excitati inflammantur; ad id confert, si ab ipsa qua Ecclesia conditione et forma decorata est, argumentum hauriatur.

Fuit olim in moribus ut genus hominum propter aliquod signum, vel in exteriori personarum aspectu, vel in orbis terrarum superficie impressum, putaret ob id posse

(1) S. Pa: ad Gal. 10. 9.
(2) S. Aug. lib. 1. contra jul.

inter homines necessitudinem quamdam et vinculum societatis obstringi. Propterea aut montes aut flumina, aut varia corporum aptitudo, aut epidermidis color, non secus ac naturae dictamina concipiebantur, quae praeciperent quot homines possent ab earumdem disciplina institutionum cohiberi. A terminis, qua spatiebatur materia, mentes hominum vinciebantur. Sed vix revelatum fuit omnes homines ab uno cespite originem ducere, et omnes una eadem natura esse qui spiritu rationabili donati fuerint, et omnes propter Redemptionem Jesu Christi adoptionem filiorum Dei meruisse; ex tunc alia patefacta sunt vincula, ac tanta amplitudine, ut genus humanum amplectarentur. Et ideo Apostolus, novas animadvertens necessitudines, et amplissimam societatem inter se vinculo Jesu Christi arctissime obligatam, plenus gaudio profitebatur dicens: in uno spiritu (1) omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei, sive Gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno spiritu potati sumus. Sed quomodo unum corpus visibiliter omnibus appareret, nisi membra essent ita disposita, ut, cum adhereant corpori, una vi commota esse omnia videantur? Propterea divina sapientia eo modo disposuit rem, ut omnes, quos ipsa missura erat evangelizare nationibus, verbum huic Cathedrae traditum repeterent, ad hanc Cathedram in quaestionibus respicerent, huic Cathedrae consentirent, et ad illam, in episcopali ordine constituti, velut radii ad circuli centrum, pertinerent. Hoc est vinculum quod homines terra disjunctissimos nectit; haec est vis, quae non montibus, non maribus, non varietate linguarum circumscripta, omnes Christi fideles per tutissimum iter ambulantes dirigit, ac in via veritatis ad perseverandum confirmat. Dixerat Salvator in parabolis granum sy-

(1) S. Pau. 1. ad Cor. 12. 13.

napis, quod seminavit homo in agro suo, crevisse majus omnibus oleribus, et factum esse arborem; et volucres coeli venientes habitavisse in ramis ejus. Nonne granum synapis hujus Cathedrae vim repraesentat? Nonne eo crevit illa, ut ramis totum orbem tegeret, et sub hoc tegmen divites et sapientes, imperatores et reges confugerent? Nonne ab illa eruditi eruperunt discipuli ad magnas res capessendas? Adorti sunt potentiores saeculi, et eorum pertinaciam expugnaverunt; concurrentes explicaverunt palmas; disignantes oculis provincias, quaeque receptaculum ferarum, aut hominum feris crudeliorum, eo perrexerunt crucis vexillum erigere, et omnes gentes in ejus submittere potestatem. Et ideo volucres coeli venerunt, et habitaverunt in ramis ejus; principes hujus saeculi, et homines magni et excelsis praediti ingeniis habitare in domo Domini elegerunt. Nam lex Domini immaculata convertit animas; et declaratio sermonum suorum illuminat, et parvulis dat intellectum. Nonne hujus Cathedrae vis immensam Dei misericordiam, et divitias bonitatis ejus explicat atque demonstrat?

Ni Deus dedisset huic Cathedrae veritatem custodiendam, quibus modis putandum errorem integritati ejus obfuturum fuisse? Scimus quanta sit humani ingenii mobilitas, quod si nullo impeditum obstaculo posset sua sponte vagari, huc illuc transcurreret, et lucem quoque fastidiret, ut in tenebris commoraretur. Potuit error obcaecare paucorum mentes, ut alii humanitatem et alii divinam Jesu Christi naturam oppugnare contenderent, nunc in Verbo hypostaticam Unionem, nunc in Christo passibile corpus negantes, et figuram Substantiae Patris integre non cognoscerent: potuit efficere ut ingenium hominis auctoritatem Ecclesiae aufugeret aliquando, minime se credens potestati ejus obnoxium. Sed quid tandem? Ex hac Cathedra

veritas explendescentibus radiis circumamicta consurgens omnium attrahebat oculos, et repetens quae a Magistro exceperat, Cerinti et Ebionis, Arii et Socini voces obmutescere cogebat. Ipsa veluti aurora consurgens, electa ut sol, exclamans: „ Nobis unus Deus Pater (1) ex quo omnia et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum „. Nestorii sophismata in oblivionis tenebras repellebat. Ipsa congaudens quoniam tota assumpta esset a Verbo natura hominis, cum tota opus esset ut natura hominis restauraretur, dementiam Marcionitarum, et Manichaeorum, et Valentini et Apollinaris, a Christi fidelibus arcebat. Ipsa denique terribilis ut castrorum acies ordinata errorem undecumque erumpentem aggrediebatur extemplo, et penitus profligabat. Nec accidit unquam ut haec vis gladio ancipiti penetrabilior aliquando defecerit. Semper enim efficax eadem perenni aptitudine exercetur. Nam etsi videmus quosdam ex populis qui olim ab ea continebantur, ivisse, ehu miseros! frequenter in aliam partem, populi quidem acquisitionis sunt, et ab ea suaviter commoti ad priscum ovile revertentur. Delassabitur ingenium hominis inquirens quae vult scire, et prorsus speculabilia rationis lumine non sunt, et hujus Cathedrae auctoritati acquiescet.

Quidquid sit nobis in animo addiscere, et nostris non datum sit viribus percipere, ita a Petri docti sumus Cathedra, ut a fastidio alicujus dubii minime occupemur. Nos quo genere sumus? quibus ornamentis praediti? quo tendimus? et postquam a nostro resoluta fuerit corpore spiritualis particula, ubi vivet immortalis? quo merito? eritne tandem post immutationem nostram rursus integer homo, quomodo hic e manibus et flatu Domini compara-

(1) S. Pa: 1. ad Cor. 8. 6.

tus fuit? eritne aliqua merces quae hic laboribus exantlatis persaepe non retribuitur, et his, qui in terris euntes et flentes, mittunt semina virtutis, et persecutionem patiuntur propter justitiam? Hisce interrogationibus, quas corda hominum jactant, infallibile responsum ab hac Cathedra usque ad consummationem saeculi habebitur; et ideo Christi fideles intellectum Fidei submittentes, hoc tantum oraculo contenti, non aliud magis idoneum putant ad cohibendum sive noxias pervagationes mentis, sive conatus quos impietas moliatur.

Itaque gratiarum actiones iterato reddantur Deo Optimo Maximo, si in tanta rerum inconstantia, in tanta opinionum mobilitate, in tantis institutionum humanarum vicibus, posuit verae Doctrinae fundamentum, hujusmodi constitutum conditionibus, ut nec propter temporis edacitatem, nec propter hominum malitiam possit aliquando commoveri et labi. Exultatione gaudeant fideles, quoniam a Jesu Christo Salvatore nostro donati sint munere, ut, a quo intangibiles solent servari veritates dirigantur. Gaudeant hujus Cathedrae perenni et efficaci vi, qua sperare quisque debet futurum, ut aliquando de hominibus, quotquot degunt in orbe terrarum, fiat unum Ovile; gaudeant sperantes ut omnes hominum greges, ductae ab uno Pastore, pabulis quae ipse monstrat in vinea Domini nutriantur; sperantes futurum ut una voce omnes homines laudes Domino persolvant, et salutem habeant sempiternam.